

• ipsis dominis de la Scala in guerra predicta, sint et includantur
 • et pro inclusis habeantur cum civitatibus, terris, gentibus et locis
 • eorum et cujusque eorum si eis placuerit per modum et formam
 • notatum et notatam de aliis in capitulo precedenti. Promittenti-
 • bus siquidem et observantibus eis seu illis, qui in dicta pace esse
 • voluerint e converso et simili modo prout de predictis aliis supe-
 • rius est narratum.

• Quam pacem, concordiam, et bonam voluntatem, tradictio-
 • nes, concessiones, dimissiones, tenutas, possessiones, promissio-
 • nes, provisiones, liberationes, absolutiones, remissiones, pacta,
 • conventiones et alia omnia et singula superius in hoc contractu
 • distincta, apposita et contenta, dicti sindici et procuratores et
 • quilibet eorum sindicariis et procuratoriis nominibus antedictis
 • promiserunt sibi adinvicem et vicissim, firma, rata, grata et in-
 • corrupta habere et tenere attendere et observare facere et com-
 • plere et firma, rata, grata et incorrupta haberri, attendi, teneri,
 • fieri, observari et adimpleri facere, et non contra facere vel
 • venire per se vel alias, de jure vel de facto, directe vel indirecte,
 • aut aliquo modo vel ingenio, in pena et sub pena centum milium
 • florenorum auri solempni stipulatione promissa, que pena totiens
 • committatur et peti possit et exigi cum effectu per observantes a
 • non observantibus vel fallentibus, quotiens contra predicta vel
 • aliquod predictorum fuerit contrafactum vel contraventum seu
 • non observatum. Et pena soluta vel exacta vel non, una vice cum
 • pluribus, nihilominus omnia et singula suprascripta firma perdu-
 • rent cum eadem stipulatione pene, pro quibus omnibus et singulis
 • observandis, firmis tenendis et executioni mandandis, obligaverunt
 • inter se et sibi adinvicem et vicissim dicti sindici et procuratores
 • sindicariis et procuratoriis nominibus quibus supra bona omnia
 • mobilia et in mobilia predictorum, quorum sunt sindici et procura-
 • tores, presentia et futura. Hoc acto et expresse dicto in principio
 • hujus contractus et medio et fine ejusdem, quam comune Venetia-
 • rum ex hoc contractu vel aliquibus in eo contentis non teneatur